



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Concilij Tridentini, contra duella, decretum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

randulanus, alijque rectè docent, eiusmodi monomachias juri nature repugnare. Quod si juri nature repugnant, rectè Canones dicunt, omnem consuetudinem in contrarium invalidam esse: nulla siquidem legi naturali consuetudo potest præscribere. Duella etiam jure diuino & sacris litteris prohibita esse, nonnulli probant ex omnibus locis, quibus Deum tentare, & occidere prohibemur. Clara saltem est probatio juris Ecclesiastici & diuini positiui. Quippe & olim hoc canones prohibuere, & perspicuis verbis Concilium Tridentinum, cuius decretum huc apponere operæ pretium est. Ita loquitur:

Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumq; alio nomine, Domini temporales; qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; eo ipso sint excommunicati; ac jurisdictione, & dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, priuati intelligantur: & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, & omniū bonorum suorum proscriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrant, & ut homicida juxta sacros canones, puniri debeant, & si in ipso cōsuetu decesserint; perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causâ duelli, tam in jure, quam facto dederint; aut aliâ quacumq; ratione ad id quemquam persuasierint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetua maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumq; privilegio, seu prauâ consuetudine, etiam immemorabili.

Duellicum hoc pugnandi genus, suo etiam calculo, & quidem sub excommunicationis pœna, damnauit An. 1508. Iulius II. mense Aprili, verùm quoad Romanæ Sedis subditos dūtaxat. Gregorius XIII voluit eam prohibitionem ad omnes pertinere, sicut & Concilium Tridentinum eam extenderat: & quod Concilium statuit de solenni siue publico duello, id ipse, ob easdem causas, Anno 1582. etiam ad priuatas & non solennes duellationes hunc in modum produxit. *Crescente hominum malitia, fa-*

Bb 2

cinerosi

1. regis leg. Longobard. tit. de monomachia. loã. Bapt. Sufus lib. de iniuritia duelli. Mirandul. li. contr. Posseu. de expugnatione sing. certâ. c. 2 de Cleric. pugn. in duello.

V. Conc. Trid. sess. 25. c. 19.

VI.